

LII. Respondetur ad argumentum solutione desumpta ex D. Thoma illo articulo nono ad primum quam sic ad formam redigo. Distinguo igitur minorem; nulla datur species, cujus non sit possibile individuum, distingo; cujus non sit possibile individuum eo modo, quo illa species petit tale individuum habere, concedo; alio modo, nego: species autem indifferentiæ moralis ita habet indifferentiam ex objecto, quod petit compleri in specie sua ex fine, et circumstantiis, eo quod finis, vel circumstantiæ transeunt in conditionem objecti. Quare non est imaginandum quod indifferentia est species quædam petens habere indifferentiam, et sistere in ea, sed est species petens transire ad bonum, et malum mediate, id est, non ex objecto proximo, et immediato, sed ex fine, et circumstantiis. Non enim est actus indifferens ut sistat in ipsa indifferentia, sed ut transeat ad bonum et malum, in quo compleatur, et sistat, licet sub præcisa ratione erga objectum non habeat nisi indifferentiam, id est, statum indifferentiæ ratione cujus possit transire ad bonum, et malum. Indifferentia ergo est moralitas quædam boni, et mali mediate, seu capacitas boni, et mali ex circumstantiis, et hoc modo existit in individuo, quia semper existit vel bona, vel mala.

LIII. Excludit autem bonum, et malum secundum quod habet statum indifferentiæ, id est, ut præcise respicit objectum, sed hæc præcisio, et hic status non descendit ad individua, sicut homo, vel lapis secundum se, neque est albus, nec niger, in re tamen non invenitur cum hac præcissione secundum se, quia hæc præcisio, et hic status non descendit ad individua, et sic invenitur vel albus vel niger, et invenitur ipsa essentia hominis. Similiter indifferentia moralis quan-

tum ad id quod dicit de statu, et præcissione indifferentiæ non invenitur in individuo, quantum ad id quod dicit de ordinatione, et capacitate ut sit bonum, vel malum invenitur in individuo. Et sic nulla datur species sine individuo eo modo, quo talis species petit, et exigit esse in individuo, scilicet, quantum ad id quod dicit de ordinatione ad bonum, vel malum, et prout mediate est bonum, vel malum, non quantum ad id quod dicit de statu, et præcissione indifferentiæ, ut præcise respicit objectum.

LIV. Et hæc est sine dubio mens D. Thomæ si attente legatur in illa solutione ad primum in articulo nono, duo enim dicit. Primo, quod non intelligitur actum esse indifferentem ex sua specie sic, quod ex specie sua debeat et quod sit indifferens, hoc est quod maneat, et sistat in ipsa indifferentia, id enim est impossibile, cum ipsa indifferentia ordinetur de se ad bonum, et malum. Et hoc constat ex probatione subjuncta D. Thomæ: « Non enim, inquit, est aliquid objectum humani actus, quod non possit ordinari, vel ad malum, vel ad bonum per circumstantiam, et finem. » Ergo signum est, quod quando dicit non deberi actui ex specie sua quod sit indifferens, ly sit indifferens, est idem ac dicere non est debitum, quod maneat indifferens, et sistat in indifferentia, non enim negare potest quod sit de se indifferens, sed negat quod non ordinetur in bonum, vel malum, atque adeo negat quod non transeat in bonum, vel malum, quod est non sistere, nec manere in indifferentia.

LV. Secundo dicit D. Thomas, quod actus potest dici indifferens ex sua specie, quia non habet ex sua specie, quod sit bonus, vel malus, unde per aliquid aliud potest fieri bonus, vel malus. Ad speciem

ergo indifferentiæ pertinent duo, et negativum, scilicet quod ex specie, id est, ex objecto non sit bonus, vel malus; et positivum, scilicet quod mediate, seu per aliud sit bonus, vel malus, transeunte in conditionem objecti illo alio per quod redditur bonus, aut malus, finis scilicet et circumstantiæ. Ergo in re invenitur species indifferentiæ, et individuum secundum totum illud quod species illa petit, scilicet ut bona, vel mala sit mediate ex fine, vel circumstantia in conditionem objecti transeunte, non ut præcise indifferens sine bono, vel malo, quia species illa ita excludit bonum, et malum immediate ex præcisa ratione objecti, quod mediate includit bonum, vel malum, prout determinabitur a fine, vel circumstantiis. Quia ergo indifferentia moralis etiam in sua specie est quoddam bonum, vel malum mediate, non immediate ex sola vi objecti, quia dicit speciem ut complendam mediate per bonum, vel malum ex fine, in se autem, et ex vi objecti præcise non completam, neque ultimo determinatam, fit quod in individuo invenitur species illa indifferentiæ non sub præcissione, et incompleto modo, seu statu indifferentiæ, sed ut completa, et determinata per bonum, et malum. Quare non destruitur species per individuationem, sed completur, et determinatur, et constituitur positive mediante fine, aut circumstantiis in bono, vel malo, quia sic totum hoc petit illa species scilicet compleri, et determinari, scilicet mediate, et per aliquid aliud, quod transit in conditionem objecti, non ex objecto immediato tantum.

LVI. Dices: Hoc est idem ac ponere speciem indifferentiæ per abstractionem a bono, et malo, non autem constituere speciem quamdam condivisam contra bonum, et

malum, de hac enim ut condivisa bono, et malo, quærimus, quomodo inveniat in individuo, et in rerum natura. Quod autem id quod abstrahit a bono, et malo sit indifferens nemo dubitat: sed illud non est species, sed genus; et quod illud sic abstrahens, et indifferens sub illa abstractione, et indifferentia non inveniat in rerum natura, et in individuo multo minus dubitatur. Secundo, falso dicimus illam speciem indifferentiæ esse incompletam, et negativam ex objecto immediato, completam autem et positivam mediate, scilicet ex fine transeunte in conditionem objecti, et sic dari in individuo speciem illam sine indifferentia.

LVII. Contra est, quia illa actio ut tangit immediatum objectum est positive in aliqua specie morali, quia positive est actio libera, et positivo respectu tangit objectum liberum, et morale, et mensurabile, ergo est positive in aliqua specie moris, non boni, aut mali, quia hoc non habet ex objecto; ergo indifferens. Quod si negative est indifferens ex ipso objecto immediato voluto propter se, et ob solam suam commoditatem sine alia honestate; ergo pari ratione idem objectum sic volitum in singulari faciet actionem singularem indifferentem, quia si illud objectum sic volitum facit speciem indifferentem, nec redditur malum ex absentia finis honesti, nec etiam in individuo reddetur malum ex absentia sola finis honesti, et ex eo quod sit volitum illud objectum propter suam commoditatem. Istæ sunt objectiones Vazquez.

LVIII. Respondetur ad primam, actionem non dici indifferentem in præsentia indifferentia abstractionis, et universalitatis, sicut universale abstrahit ab inferioribus, sed indifferentia subjecti, quatenus actus est



capax utriusque speciei; sicut superficies est indifferens ad album, vel nigrum, et indifferentia etiam objecti, quatenus ut tangit præcise objectum per respectum positivum non invenit ibi rationem boni, aut mali, sed solum permissi a lege cum capacitate ut mediate habeat bonum, et malum attingendo finem, aut circumstantias. Quia enim in aliquibus actionibus objectum ita se habet, quod in se, et ex meritis suis nondum intelligitur conforme, aut difforme regulæ, sed tantum permissum a lege, et transiens in aliud principium, ut ibi inveniat bonum, aut malum, scilicet mediante fine, et circumstantiis, ideo actus ipse etiam ut tangens respectu suo tale objectum dicitur ex illo præcise haurire solam indifferentiam, seu capacitatem ad bonum, vel malum, ex illo autem mediate habere bonum, vel malum, scilicet mediante fine adjuncto.

LIX. Neque ex hoc sequitur plures actiones id habere, quæ communiter indifferentes non sunt, ut occidere hominem, accipere alienum, potest enim utrumque, et bene, et male fieri; comedere, loqui, tacere, multa similia, quæ et bene, et male fieri possunt. Dicimus enim istas actiones esse indifferentes, indifferentia abstractionis, et universalitatis, quia considerantur generice, non specificè; accipere enim alienum invito domino, et auctoritate propria est determinata species mala; accipere autem alienum ut sic est genus; loqui, comedere, etc. generice dicuntur, sed oportet considerare hoc in specie, ut loqui ad ædificationem, vel ad detractionem, comedere superflue, aut temperate, etc. Sunt tamen aliæ actiones, quæ etiam apponendo objectum specificum adhuc manent indifferentes, ut ire in campum deliberate, levare festucam, emittere sputum, et simi-

lia; et de his specialiter agimus in præsentia.

LX. Ad secundam dicimus, quod actio illa ut tangit præcise objectum est in specie incompleta et imperfecta, quæ dicitur positiva quantum est ex parte respectus, quia per respectum positivum tangit objectum illud, sed tamen vocatur ab aliquibus negativa, quia caret bono, et malo, ad quod tamen dicitur capacitatem, et ordinem. Et sic ratione status dicitur illa species negativa, quia ita tangit objectum, quod ex vi illius manet in statu indifferentiæ excludente bonum, et malum determinate, ad quod tamen ordinem, et capacitatem dicit, et potest mediate habere illud. Nec ex hoc sequitur, quod si illud objectum sic volitum relinquit actum in sua specie indifferentem, etiam relinquet indifferentem si sic volitum sit in individuo. Negamus enim suppositum, quod possit in individuo sic esse volitum cum tali præcisione, et statu indifferentiæ, non adjuncto fine, vel circumstantiis, ex quibus mediate accipit speciem boni, vel mali, quia actus ut exercetur in individuo non potest præscindere ab illis. Et absentia finis in actu considerato secundum speciem præcise non facit illam speciem malam, quia non est pro illa consideratione absentia finis privativa, sed præcisiva, nec debetur speciei, et objecto ratione sui, quæ tamen est privativa, si in individuo fiat sine illo.

LXI. Ad confirmationem principalis argumenti constat dictis, non destrui speciem indifferentiæ per individuationem, sed statum et præcisionem indifferentiæ, non quidem indifferentiæ abstractionis universalis, et prædicabilis, sed indifferentiæ actus determinabilis ex fine, sicut homo de se est indifferens ad album, vel nigrum, quia videlicet non manet attingentia præcisa ad

objectum immediatum, sed extensio ad mediatum quod est finis, et circumstantia, ex quibus ipsamet ratio actus indifferentis postulat accipere speciem completam, et perfectam, quæ est bonum, vel malum, sicut ex objecto immediato habet indifferentiam si præcise, et secundum se consideretur. Unde in individuo retinet ille actus ordinem, et capacitatem ad bonum, et malum non sub statu indifferentiæ, sed cum determinatione, et complemento boni, et mali, quod est non esse bonum, et malum ex objecto immediate, sed mediate ex fine, ex præcisa autem ratione objecti, nec bonum, nec malum habet, sed ordinationem ad utrumque cum statu indifferentiæ dictæ.

LXII. Secundo arguitur ex auctoritate S. Hieronymi et S. Gregorii Nazianzeni. Nam Hieronymus epist. LXXXIX ad Augustinum, quæ etiam est undecima inter epistolas Augustini loquens de his actibus indifferentibus, inquit: « Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens, ambulare, digerere alvi stercorea, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rheumata jacere, hoc nec bonum est, nec malum; sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam. » Ubi toto ponderatio fit in illis verbis: Quæ si feceris, etc. quæ denotant exercitium actionis, nec enim aliis expressioribus verbis potuit Hieronymus significare exercitium actionis in individuo; ergo non possunt explicari de sola actione quoad speciem. Nec solum dicit Hieronymus quod ex illis nec habetur justitia, nec injustitia prout dicitur justitia ordinata ad vitam æternam, hanc enim non habent illæ actiones in individuo: sed etiam dicit ista nec esse bonum, nec malum, quod utique pertinet ad malum, et bonum morale secun-

dum se. Similiter Nazianzenus oratione tertia in Julianum, inquit: « Christianam philosophiam medium quoddam inducere inter bonum et malum, inter pœnæ meritum et laudis. » Ex quibus verbis colligit Elias Cretensis super prædictam orationem Nazianzeni: « Medium quemdam statum in istis actionibus ab eo admitti. » Ergo sentiunt patres dari indifferentiam in individuo.

LXIII. Et confirmatur atque urgeatur hoc ipsum, quia istæ actiones pure fiunt ob commoditatem naturæ, non ob honestatem virtutis, quod tamen requiritur ut actus ille sit actus virtutis, scilicet ut non solum faciamus justum, sed etiam juste, id est, ob ipsum finem honestatis, non ob delectationem, vel commoditatem propriam. Ex hoc autem præcise, quod non fiant ob honestatem virtutis non sunt peccata, quia non privantur rectitudine debita, alias qui operaretur justa, sed non juste, peccaret, cum tamen nullo præcepto speciali obligemur apponere omnibus actibus bonum finem, et operari propter honestatem virtutis. Et sicut in agentibus naturalibus non est necesse omnes actiones ordinari in proprium finem, nec manent contrariæ actiones, quæ in illum non ordinantur, sed sunt præternaturales, aut indifferentes, ut igni moveri circulariter, ita in agentibus liberis possunt manere aliqui actus indifferentes, et tamen non ordinari in proprium finem, quia hoc non est semper obligatorium.

LXIV. Confirmatur secundo in omissione actus indifferentis, ut non ambulare, non levare festucam, non ire in campum, vel etiam ommissio eorum, quæ sunt de consilio, et non de præcepto, ut non esse religiosum, tales omissiones licet in individuo non referantur in finem



honestum non sunt peccata, alias quoties occurrunt tales omissiones, ut non facere ea quæ perfectionis majoris sunt, teneretur homo referre illas in bonum finem, tenereturque confiteri quod omiserit se esse religiosum sine alio fine; sed solum quia noluit, quod prorsus est inauditum. Si autem potest exercere istas omissiones sine relatione ad bonum finem, potest et velle, quia quod non est peccatum exequi, non est peccatum velle.

LXV. Respondetur ad principale argumentum Hieronymi in eo loco clare loqui de specie actionis, et de bono, vel malo quod habetur ex objecto, et similiter de indifferenti ex specie, seu objecto. Erat enim intentum Hieronymi ostendere, quod observatio legalium non erat indifferens, sed bonum vel malum, quod utique procedebat de ipso genere, seu specie actionum; nec enim erat quæstio, an observare cæremonias legis esset malum, aut bonum solum in individuo, sed ex specie sua, et ex objecto suo. Ad ostendendum ergo quod observatio cæremoniarum non est actus indifferens, sed determinate bonum, aut malum, enumerat Hieronymus diversa genera actionum, divisionem illam proponit apud philosophos tritam, quod aliud est bonum, aliud malum, aliud indifferens, ubi loquitur de genere istorum actuum. Et subdens plura exempla indifferentium actionum dicit, quod hæc nec sunt mala, nec bona, quia sive feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam, ubi ly feceris in omni proprietate, et rigore intelligitur de actione secundum speciem, sicut dicimus in omni proprietate, quod facere opera misericordiæ est bonum, et facere adulterium est malum, et qui fecerit adulterium habebit injustitiam, qui fecerit eleemosynam habebit laudem, ubi non lo-

quimur de facere individualiter, sed specificè, et ex genere rei.

LXVI. Et Hieronymus post allata verba subdit: « Observare autem legis cæremonias non potest esse indifferens, sed aut bonum est aut malum: » ubi ly observare idem est ac facere; constat autem quod observare cæremonias illas est ex genere, et objecto suo malum, idque sufficienter explicatur per ly observare; ergo etiam cum dicitur de actibus indifferentibus, sive feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, etc. loquitur de facere ex genere suo, et quantum est ex meritis objecti illius indifferentis; an vero ex appositione, vel omissione finis reddatur illæ actiones bonæ, vel malæ nihil in illis verbis Hieronymi dixit, neque hoc est torquere verba Hieronymi, sed ejus planum sensum sequi, cum ipse loquatur ibi de generibus actionum, non de actionibus individuis talium generum. Unde juxta ejus intentum verba ipsa accommodanda sunt.

LXVII. De Nazianzeno idem dico, quia nullum est verbum in illa auctoritate indicans loqui de actionibus prout in individuo exercentur, et ex fine vel circumstantiis bonæ, vel malæ esse possunt, sed de actibus consideratis ex se, et ex objecto suo, ratione cujus non quisquis laude dignus non est, statim pœnam meretur; vel saltem datur medium inter meritum, et demeritum vitæ æternæ, quia possunt aliquæ actiones etiam bonæ non mereri vitam æternam, quia non fiunt in charitate, et alias non merentur supplicium, ut peccator jejunans, aut orans; non tamen datur aliqua, quæ in individuo ex circumstantiis adjunctis aut bona, aut mala non sit.

LXVIII. Ad primam confirmationem jam sæpe diximus ex D. Thoma in articulo nono ad tertium, quod ea

quæ fiunt ob commoditatem naturæ etiam referri possunt in finem honestum, quia corpus nostrum subjicitur virtuti. Nec solum possunt, sed etiam debent, quia debitum est actioni liberæ ut fiat ex fine honesto, et virtuoso otiosa sit, et propter præceptum faciendi omnia in gloriam Dei, ut solutione ac sequens argumentum dicetur.

LXIX. Ad id vero quod dicitur de agentibus naturalibus, dicimus quod illæ actiones prænaturales, et indifferentes, licet non contrariantur proprio fini, nec illum destruant, tamen ad minus impediunt, et hoc sufficit in agentibus moralibus ut sit peccatum, si fiat actio cum impedimento proprii finis. Nam si actio illa neque contrarietur fini proprio rei naturalis, neque impediatur, sed solum superaddat aliquam perfectionem, vel formalitatem neque contrariam, neque impeditivam, non erit actio illa indifferens in agentibus naturalibus sed perfectiva illius: sicut quod aer illuminet ex illustratione solis non est aliquid indifferens, et præternaturale; et quod mare fluat, et refuat ex impressione motus cœli non præternaturalizat aquam, sed perficit tamquam accidens quoddam superadditum. Sic in agentibus liberis si actiones supernaturales, non sunt indifferentes, sed excellentes, licet non sint naturales. Si autem indifferentes maneant, licet non contrarietur fini rationali, sicut peccatum mortale, tamen impediunt tendentiam ad illum finem, quatenus fiunt otiose, et sine honesto fine. Et hoc sufficit, ut sint peccatum.

LXX. Ad secundam confirmationem respondetur, quod (ut supra diximus disputatione tertia) ommissio non est voluntaria in exercitio, nisi habeat adjunctum aliquem actum, vel quo sit directe volita, vel quo

sit indirecte voluntaria, utpote consecuta ad alium actum. Si ergo aliquis voluntarie in exercitio omittit aliquem actum indifferentem ut non levare festucam, non ire in campum, vel si omittit aliquem actum perfectionis, et qui est de consilio, non de præcepto, dicimus quod in talibus omissionibus, si cum fiunt advertentia, et deliberatione, eodem modo philosophandum est, ac de ipsismet actibus, si quidem si omissiones istæ sunt voluntariæ in exercitio, in vi alicujus actus concomitantis, vel antecedentis voluntariæ sunt. In omni autem voluntario actu aliquis finis honestus habendus est, alias otiosus actus erit. Et non est inauditum quod in omissione istarum rerum teneatur aliquis adhibere bonum finem solum indirecte, et mediate, id est, in ipso actu, mediante quo redditur illa ommissio voluntaria: hoc enim non est magis inauditum, quam teneri hominem operari quemcumque actum ex bona intentione, et in gloriam Dei, et consequenter eam omissionem alterius quæ ex illo actu sequitur. Et quando aliquis omittit opera majorem perfectionis, et quæ solum sunt de consilio, non est inauditum examinare motiva propter quæ relinquuntur, an sit ex contemptu, vel ex levitate animi, vel otiositate; an ex recognitione propriæ fragilitatis, et quia juxta proprias vires, et inclinationem sentit aliquis melius se posse servire Deo in alio statu minus perfecto; si enim ex levitate animi, vel otiositate relinquit opera perfectionis, talis ommissio mala est; si autem ex motivo bono, bonum est.

LXXI. Nec est inconveniens, quod etiam in relinquendo consilia, et operando contra illa, et assumendo imperfectiorem statum possit aliquis recte operari, et mereri, sicut in accipiendo statum matrimonii,